



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 6. An aqua sit vino miscenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS VI.

An aqua sit vino miscenda?

25
Varia n. r.
refes.

Respondetur, Aquam vino permiscendam. Est contra Ebionitas, Tatianos, & Aquarios, qui pretextu sobrietatis, solam aquam offerebant. Vide Epiph. hæresi 30. & 46. & August. hæresi. 64. Est etiam contra Armenos, qui solum vinum offerebant, vt significarent in Christo esse tantum vnâ naturam, vt refert Nicephorus lib. 18. hist. c. 53. Denique est contra nostros hæreticos, qui id putant esse adiaphorum.

Sententia
Catholica
probatur.1. Ex Con-
cilijs.2. Ex Li-
urgijs.3. Decretis
Pontifici.4. Ex Pa-
tribus.

Probatur Primò, Ex Concilijs. Concilium Trullanum Can. 32. dicit *Hanc mixtionem esse traditionem Apostolicam à Christo profectam.* Conc. Carthaginense III can. 24. *Vt in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil offeratur amplius, quam ipse Dominus tradidit; hoc est panis, & vinum aquâ mixtū.* Concilium Florent. in instructione Armenorum adfert tres causas huius mixtionis, quas hîc habet D. Thomas. Similiter Concil. Tridentinum sess. 22. cap. 7. Probatur Secundò, Ex Liturgia D. Iacobi, *Accipiens, inquit, calicem, & permiscens ex vino & aqua.* Et ex Liturgia D. Basilij *Calicem de genimine vitis accipiens, miscens, gratias agēs benedixit &c.* Probatur Tertio, Ex Decretis Pontificum; quæ vide apud Gratianum de Consecratione, distinct. 2. Probatur Quarto, Ex Patribus. Iustinus Apologia 2. in fine dicit Christianos *offerre panem & calicem aquâ dilutum.* Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 57. *Dominus temperamentum Calicis sui, Sanguinem confirmavit.* Cyprianus tota epist. 63. ex professo probat esse contra Christi institutionem solam aquam offerre; sed eam cum vino miscendam. Rationes vide apud D. Thomam hîc. Et apud Amalariū lib. 3. de Officijs c. 19. & Rabanum lib. 1. De institutione Clericorum c. 31.

ARTICVLVS VII.

Vtrum permixtio aqua sit de necessitate huius Sacramenti?

26
Negatur
contra
Richardū.

Florent.

Trident.

Ratio.

Respondetur Negatiuè. Est communis sententia Theologorum. d. 11. præter Richardum Armacanum lib. 9. qq. Armeniacarum cap. 9. vbi docet hanc mixtionem esse necessariam ad substantiam Sacramenti.

Probatur Primò, Ex Concil. Floren. *Materia huius Sacramenti est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* qua forma loquendi insinuat non esse, nisi ex præcepto debitū; alioqui dixisset, *Materia est vinum de vite aquâ mixtum.* Concil. Trid. sess. 22. cap. 7. *Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent.* vbi satis indicatur, esse solum ex præcepto Ecclesiæ; ac proinde non pertinere ad substantiam: Ecclesia enim non potest suo præcepto facere, vt id, quod non est necessaria materia, fiat necessaria.

Probatur Secundò: Ratione, Quia aqua admiscetur non ad significandam præsentiam Sanguinis Christi in hoc Sacramento, quæ est primaria res significata per species; sed ad significandum effectum, seu fructum huius Sacramenti,

quem habet in fumentibus; quod est incorporari Christo. Atqui substantia huius Sacramenti non consistit in sumptione seu vsu, sed in re permanente, vt supra dictum est: ergo etiam si hæc significatio absit, non perit eius substantia; præsertim cum hæc significatio satis conseruetur in speciebus vini & panis: vinum enim ex multis acinis confluit, & panis ex multis granis conficitur.

Aduerte tamen, non sine graui peccato aquæ admixtionem intermittere. Nam est traditio apostolica, semper in Ecclesia instar præcepti obseruata. Imò à Cypriano dicitur *mandatum Domini*; non quòd Dominus propriè mandauerit, sed quia ab exemplo Domini manauit; sicut solutio decimarum dicitur esse iuris diuini. Simili sensu dicitur esse *Traditio diuina* à Concilio Carthaginensi III. cap. 24.

Ex his sequitur Papam posse dispensare, ne mixtio fiat, quamuis existimem non posse occurrere casum, in quo sit iusta causa dispensandi. Si tamen de facto dispense, non erit peccatum mortiferum omittere.

Cur Aqua
omissio sit
grauè pec-
catum.Papa di-
spensare
potest.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi?

Respondetur; Modicam aquam admiscendam, sic vt ante consecrationem in vinum possit conuerti. Patet ex Concilio Florentino quod dicit modicissimam aquam admisceri debere. Sed est

27
Aqua mo-
dica admi-
scenda, &
cur.

DVBIUM.

Vtrum si ante consecrationem aqua nondum sit mutata in vinum, conuertatur in Sanguinem, sicut vinum?

Doctores Scholastici putant non posse conuerti in Sanguinem, nisi antè sit conuersa in vinum. Ita D. Thomas hîc, Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Maior, & Gabriel, d. 11. Imò Gabriel lectione 35. in Canonem, dicit esse *Indubitam sententiam*; & Catheticus Pij V. dicit esse *sententiam omnium Ecclesiasticorum Scriptorum.* Ratio est; quia propriè solum vinum est materia; aqua autem miscetur, non vt necessaria, sed ceremoniæ causâ, propter significationem, vt insinuat Concilium Florentinum. Et Confirmatur; quia admixtio solum videtur esse ex præcepto Ecclesiæ: at si esset materia consecrabilis, omnino esset præcepta à Christo illam materiam instituente; non enim materias Sacramentorum reliquit liberar. Hæc sententia est valdè probabilis.

Quidam id
negant.

Nihilominus contrarium quoque probabile est: Aquam nimirum vino mixtam in Sanguinem conuerti, siue antè sit conuersa in vinum, siue non. Hanc sententiam tenet Alanus cap. 13. lib. 1. Vbi dicit certa fide tenendum esse totum conuerti in Sanguinem, siue aqua sit in vinum mutata, siue non. Et infra dicit contrarium esse grauem errorem: quibus tamen verbis non nihil excedit. Idem tenet Petrus Soto lectione 14. quæst. 5. de Eucharistia.

28
Opposita
sententia
exponitur,
& probatur.

Probatur Primò, Quia Sancti Patres absolutè dicunt *Vinum & aquam*, item *Vinum aquâ mixtum offerri*,

1. Ex Patri-
bus.